

Ergo si quid in hac editione discrepare videris a superioribus, neque in notis admonero emendationes esse meas, scito mutationem quæ contigit, a codice veteri profectam esse. Nisi si interdum loci veterum scriptorum qui a Lupo laudatur, ex melioribus editionibus vel ex antiquis codicibus manuscriptis restituti sunt; exempli causa, locus unus ex Augustino, alter ex Justino sive Trogo Pompeio, itemque alius ex alio quopiam scriptore.

Quoniam vero Lupum abbatem haud alium esse puto quam Servatum Lupum presbyterum, cujus exstant nonnullæ lucubrationes seorsim editæ, eas

A quoque hic adjici curavimus; ut in eodem volumine haberes, Lector, quæcunque lucubrationes Lupo Ferrasiensi tribuuntur ab eruditis.

De auctore porro nihil est impræsentiarum quod dicam cum et breviarium vitæ ejus habeas in initio notarum mearum, et passim vitam ejus illustraverim in ipsis notis. Habes præterea, post hanc præfationem, illustrium scriptorum testimonia, quæ sufficere tibi abunde possunt.

Vale, Lector; et si quid emendatione arbitraberis indigere, admoneto. Dabimus enim operam ut corrigatur.

## ELOGIA DE B. LUPO.

*Rodolphus, presbyter et monachus, in Vita Rabani abbatis Fuldensis.*

In epistolas quoque Pauli, hortatu LUPi diaconi. Collectarium fecit, colligens de diversis opusculis sanctorum Patrum sententias eorum, et in ordiæm disponens, in triginta libris illum determinavit.

*Rabanus, archiepiscopus Moguntinus, in epistola ad Samuellem, episcopum Vormaciensem.*

Quia audivi quamdam partem laboris mei, quem in expositionem sacrarum Scripturarum, prout potui, elaboravi, vos habere velle, et maxime in Epistolas B. Pauli apostoli, transmissi sanctitati vestræ quemdam Collectarium de sanctorum Patrum opusculis in easdem epistolas, quem nuper rogante LUPO monacho atque tunc diacono confeci.

*Ejusdem Rabani epistola ad Lupum.*

Venerando fratri et commilitoni LUPO Christi ministro Rabanus ærvus servorum Dei in Domino salutem. Postquam desiderabili præsentia tua, etc. **C** Reliqua vide inter Opera B. Rabani Mauri, hujusce Patrologiæ tom. CXL, col. 1273.

*Gotteschalcius in epistola ad Ratramnum monachum Corbeiensem, loquens de libro Lupi de tribus quæstionibus.*

Nempe tribus horum studii proprium inderesensum, Mateaudo, bonæ, atque LUPO rutilantibus ore, Poscens obnixè satagant ut vera referre. Nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit uno: Qui cum sit cantus simul et catus, est moderatus, Sic jam terna sui librans responsa libelli, Ut dempto neutri pleno discrimine parti Congruat (a).

*Ex Actis concilii Sussioniensis habiti anno 853.*

Residentibus in synodo venerabilibus episcopis in nomine Domini, Hincmaro, Rhemensis Ecclesiæ archiepiscopo, Wenilone Sennense, etc. Residentibus etiam presbyteris et abbatibus, Dodone, abbate monasterii sancti Savini; LUPO, abbate monasterii Bethlehem, quod Ferrarias dicitur, etc. **D**

*Item ex Actione 2 ejusdem concilii.*

Et revelatum est volumen illud (scilicet *Gesta depositionis Ebbonis, archiepiscopi Rhemensis*) synodo coram principe glorioso Carolo a LUPO, venerabili presbytero et abbate in monasterio sancti Petri quod Bethlehem vel Ferrarias dicitur.

(a) Lupi enim librum taxat ut ancipitem et neutri parti congruentem. Quippe qui inter cætera, cum de Christi sanguine quod non pro omnibus fusus sit probasse in quæstione III videretur, mox retractans, pro omnibus fustum Pauli testimonio doceat et Chry-

*Ex vita sancti Faronis, episcopi Meldensis, scripta ab Hildegario, ejus successore, cap. 118.*

Publicatam siquidem ex tertia persona rem admodum mirabilem hac insertionem notavimus ut posteris quoque futuris sit monumentum. Nam non de incerta alicujus fama hoc dictum ab imo emanabit mentis, sed de illius ore accepimus cui ostensum est mirabiliter, qui dicitur de nomine LUPUS, ornatus luce sapientiæ, pastor modo pro religione sanctitatis in monasterio famosissimo Ferrariensi, ubi cætus monachorum in Christo cum illo toto orbe est venerandus. Hic vero cum in viridi ætate, videlicet juvenili, studio sapiæ floreret, et ob hoc ab abbate suo, qui vocabatur Odo, cujus amor spiritualis reverendissimum cunctis præstabat, dulcissime tractaretur, quoniam altera spes illius loci ex beneplacitis initiamentis jam præmeditabatur, accidit aliquando abbati præfato itinere eum sibi sociari quo palatium quod vulgo dicitur Franghenewrt attingeret. Qui cum jam longitudinem viæ dispositæ superasset ex parte, parsque residua ad superandum sollicitasset, forte juveni prædicto LUPO ipsum iter jam prope mediatum acerrimum dedit dolorem corporis in inguine, intantum ut etiam via absumpta uno in loco sacro qui dicitur de nomine sancti Trudonis eum defectum debilitate gravi collocaret, et ibi per omnia membra cruciatus molestior acriter ei inferendo deponeret. Jam vero languor validissimus eum ex supremis tantum sollicitabat. Et ecce salutariter visitator clementissimus Faro cubiculo adest, ubi sopor inanis ejus membra pressa fatigabat. Ex quo loco umbris noctis fugatis amicus Christi Faro nivea sui famosa corporis ac lactiva canicie vultus apparuit, et cum eo puer præstanti forma bajulus ampullæ olei gressus illius cereo accenso quasi regens, sicque blandis luminibus in eum juvenem intentus hic lenibus ex media parte lectuli astitit verbis: Agnoscine me? inquit. Si nescis, episcopum atque patronum urbs Meldica me habet, et nomen meum, quod est Burgundofaro, ipsius incolæ dum sæcula labentia current, per generationum successiones suarum decurrere facient. Me etenim auctor medicinæ tibi misit. Fidus esto advenire sanitatem hac mea unctione olei. Ad hæc autem ubi in eum deduxit juvenis præfatus oculos intuitumque defixit, leniter admovit Dei antistes vulnere manum liquore olei madefactam, et membra dolentia tactu mollissimo cuncta percurrens, donec ampulla manualis

sostomi. Ex quo sane apparet Lupo ac si partium suarum frustra gloriari et Gotteschalci fautores, quem Gotteschalcius ipse sibi in hoc libro non satisfacisse significat. SIRMOND.

pueri defecit administrstione olei. Curre, inquit inclytus ad puerum, ad Meldense meum monasterium, hoc enim liquore abundanter affluit, et ex eo hoc vasculum refice. Hæc dixit beatus Faro ad cognoscendam medicantis faciem rei que veritatem. Evigilans juvenis a vano sopore, hancit cælum tristitiæ molestiis dissolutis; et, quod dictu est mirabile, convocatis qui aderant comprehendit vera esse hæc, non vana somnia, dum clara luce pertractant oculis membra ejus sudare madentis pinguedine olei.

*Sigebertus de ecclesiasticis Scriptoribus, cap. 94.*

Lupus Servatus librum composuit de tribus quæstionibus, id est, de libero arbitrio, de prædestinatione honorum et malorum, de sanguinis Christi quadam superflua taxatione vel redemptione usque ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio anno Domini octingentesimo quadragesimo nono.

*Joannes Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis.*

Lupus Servatus presbyter, ad quem Rabanus abbas Fuldensis octo libros in Epistolam Pauli apostoli ad Romanos scripsisse legitur, vir in divinis Scripturis studiosus et doctus, atque in sæcularibus juxta ætatem sui temporis copiose peritus, scripsit nonnulla ingenii sui opuscula. Exstat ejus volumen de tribus Quæstionibus, et quædam epistolæ, et alia.

*Papirius Massonus in præfatione sua, edita anno 1588.*

Ferraria antiquum nomen adhuc retinet; estque monasterium Galliæ in diœcesi Senonum, quod Bethlehemiticum etiam appellatur, quatuor tantum millibus a Montargi oppido distans in Lugdunensi via ad Lupam amnem sito, qui in Sequanam influit. Ejus monasterii abbatem fuisse Lupum et ex synodo Suessionensi habita Caroli Calvi temporibus anno 853, et ex hoc epistolarum libro satis apparet. Quin ex sancti Judoci monasterio vel Cellæ maritimæ ad ostium Cantii inter Stapulas et Montrolium urbes positæ etiam præerat: quam sibi ereptam et Odulfo comiti attributam a rege, posteaque redditam, pluribus epistolis nunc queritur, nunc lætatur. Sunt autem hæc non contemnendæ propter rerum et eorum

ad quos scribuntur dignitatem. Nam ad domnum apostolicum Benedictum tertium scribit, et Leonis decessoris ejus epistolæ ad Nomenonium mentionem facit. Ad maximos principes, Lotharium Cæsarem, Carolum Galliæ, et Edilulphum Angliæ reges; sed ad Carolum multo plures leguntur, quod Senonibus et Francorum genti in Gallia imperaret. Ad doctos quoque suæ ætatis viros Einhartum et Rabanum, quos præceptores suos honorifice vocat, Jonam Aurelianensem episcopum cujus exstant libri de Cultu imaginum, eidem Carolo dicati; Hincmarum, doctissimum Rhemorum metropolitanum, et Hilduinum, a quo scripta sunt Areopagitica; ut alios præteream, excepto Marcwado, abbate Prumiensi. Prumia, vulgo *Prom*, monasterium est in finibus Trevirorum, et virum illum magni fecisse Lupus videtur. Ac ipse quidem ab Aldrico decessore Guenilonis episcopi Senonum in Germaniam studiorum causa missus est, quod in ea provincia tunc florent litteræ; fuitque deinceps curiosus optimorum librorum, et quos e Germania, Italia, Anglia Galliaque sibi ad exscribendum mitti petiit, ut ex pluribus locis apparebit. Cæterum quia unicum exemplar harum epistolarum in veteribus membranis a Petro Daniele ex ipso monasterio Ferraria allatum penes me habui, idque propter vetustatem multis locis corruptum, quibusdam lacerum et mutilum, fieri non poterit ut hic liber integer et incorruptus doctis hominibus videatur. Maluimus tamen utcunque affectum legi quam omnino non esse. Invenientur enim fortasse alia. Quanquam hoc scio, in tota Senonum provincia non reperiri, ubi et multa monasteria et frequentes ecclesiæ sunt et Lupus honestissimis parentibus natus est. Utilitatem vero magnam afferet iis qui volent illius temporis calamitates nosse, quæ nostris nihilo mitiores fuere.

*Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis.*

Lupus, abbas monasterii Ferrariensis in Gallia, scripsit librum epistolarum, qui exstat. Cumque inter cæteros scribat ad Benedictum III papam, hinc illum hoc tempore floruisse colligitur, quod etiam patet ex synodo Suessionensi, anno 853 habita apud sanctum Medardum, cui Lupus hic abbas interfuit, ut synodi Acta testantur.

## B. SERVATI LUPI

ABBATIS FERRARIENSIS

### EPISTOLÆ

#### 1 EPISTOLA PRIMA.

AD EGINHARDUM (a).

Charissimo Eginhardo Lupus salutem.

Diu cunctatus sum, desiderantissime hominum, auderem necne excellentiæ vestræ scribere. Et cum me ab hoc officio aliæ rationabiles causæ, tunc etiam ea maxime deterrebat quod posse id contingere videbatur ut dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem. Scilicet quod præpropero et inusitato prorsus ordine ab ipso familiaritatis munere inchoaverim, qui nec primordia notitiæ

contigissem. Ita vehementer æstuanti facilis et modesta et quæ sane philosophiam deceat animi vestri natura tantæ rei obtinendæ spem tribuit. Verum ut aliquid rationis afferre videar, taceo quidem sæcularium litterarum de amicitia sententias, ne, quoniam eis apprime incubuistis, Horatianum illud doctissimorum ore tritum merito accipiam:

In silvam ne ligna feras

HORAT, *Satyr.* lib. 1, sat. 10.

Deus certe noster nedum aliquam aspernandi ami-

\* *Ad Eginhardum.* Hic Caroli Magni imperatoris notarius fuerat, et vir erat, quantum ferebat illa ætas, eruditissimus.